

libus, licentia obtinetur, sufficit: quia tunc verum est, quod in Capitulis Prouincialibus obtineatur. Et dato eligeretur industria persone in hoc Breui, sufficeret taliter committendo, quia ipsa persona que eligitur committit, & facit: quoniam non requiritur cognitio cause nec examen persone cui committenda est dicta licentia, sed solum quod ibi committatur.

¶ Aduertunt tertio quod Fratribus alterius prouinciæ licet eiusdem Ordinis sint, non potest capitulum Prouinciale committere hanc potestatem, quia Breue concedit Fratribus subditis, & habentibus ibi suos Prælatos, isti vero non sunt subditi, nec Capitulum Prouinciale similiter est superior. Non enim isti Fratres vocant Prouincialem, huius nostre Prouinciæ Prouincialem, sed Prouincialem suæ Prouinciæ, nec Prouincialis huius Prouinciæ poterit irritare vota facta horum Fratrum. Et sic non posset Capitulum Prouinciale committere istis Fratribus hanc potestatem, & quia non seruetur forma rescripti, nihil fieret iuxta Sacros Canones. capitu. Cum dilecta de rescript. & ibi Panormitanus, num. 4.

vbi